

(76) Viro generosissimo atque praenobilissimo

Dom. C. a Linné

Archiat. Reg. Equiti splendidis-
simo, Professore celeberrimo etc:

s. p. d.

J. C. Fabricius

Iam diu Vir generosissime ad TE litteras exarassem, nisi itinera instituta me impedissent. Saxoniam omnino reliqui, postquam aliquoties museum Electorale visitaui. In Mineralogicis amplissimum, quod vnquam vidi, hoc fuit. Mammalia continet multa, attamen omnia nota, animalia reliqua pauca et insecta vix vlla. Adest etiam herbarium ab Hebenstreitio in Africa lectum, at misere conseruatum et quantum vidi nullae aderant plantae ignotae, quamuis haud omni diligentia examinare licuit. Contentus laetusque reliqui Saxoniam, vbi vix vlla Botanica, horti nulli, et deliciis historiae naturalis capti, paucissimi. In Hollandia viget adhuc amor huius scientiae, certe collectiones et musea optima, at semper absque ordine absque systemate. Aestate, si vires vitamque concedant fata, littora olim a TE calcata et floram a principe Botanicorum examinatam tractabo, nunc descriptiones insectorum mihi minus cognitorum continuare liceat, si forte ea systematis appendici inserere placeret.¹⁾

Post aliquod tempus, si museum principis vidi, spero me plura communicare posse.

Nunc vero me meaque studia TVAE commendo benevolentiae.

Leydae 1767. d. XVIII Januar.

¹⁾ Beskrivelser paa 9 Glossata og 1 Cicade.